1128. Multi principes Boemorum capti et catenati atque inclusi sunt in custodia a duce Sobeslao; Bracislaus ductus est in castellum Daczin. (Cosm.) — 1146. Fratres mon. Plaz. habent „Dacin partem salis de theloneo.“ — Ca. 1183. Habebant teloneum

salis in Decin a patre meo ipsis condonatum, cujus usum sine gravi periculo animarum suarum ad monasterium deferre ob longitudinem viae et insidias latronum nequiverunt. Quorum petitioni annuens villam meam Copidl eis tradidi et econtra praedictum teloneum, quod ad ipsos pertinuit, in usus meos recepi.

Degnici. (Dehnice, Dejvice, Rak. 13.)
Ca. 1088. Degnicih de terra ad II aratra cum tornariis Bogdan, Premic, poss. eccl. Wyssegrad.

Desna fluvius. (Desna in partibus Litomyšl.)
1167. Wladislaus II. monasterio Lutomyšl. contulit quoddam praedium juxta villas suas Krekovici et Rikovici, cum flumine quod vocatur Dezna. — 1167. Silva tota ab ortu Dezne usque ad fluvium qui dicitur Zuratka. — 1167. Wladislaus II. dedit et Zuabenice cum flumine Dezna a ponte, qui est in Longis pratis, usque ad villam Cerekuice.

Dětinici. (Dětenice, Detinice, Bol. 78.)
1052. Villa quam Brecislaus I. contulit eccl. Boleslav.

Děvín castrum.
Unde in tantum feminea excrevit audacia, ut in quadam rupe, non longe a praedicta urbe Wissegrad, oppidum natura loci firmum sibi construerent, cui a virginali vocabulo inditum est nomen Dievin. (Cosm.)

Děvín mons et naulum sub monte.
1130. Dimidiam partem lignorum sub monte Devin decrevit Soběslaus I. fratribus et dimidiam praeposito Wyssegrad. — 1211. Přemysl I. addidit tertium denarium in naulo sub monte Devin; nam duos denarios ab antiquo canonici Wyssegrad. semper habuerunt.

Diffenbach rivus.
1181. A fonte aquae Znate usque dum rivus Diffenbach vocatus ei influit.

Dlažkovici. (Dlaškovice, Lit. 47.)
Ca. 1057. Dlascovicih Rozroj rusticus cum terra ad aratrum, min. eccl. Lutomer.

Dnišici. (Dnešice, Klat. 384.)
1115. In Dnisicih Wladislaus I. mon. Kladrub. dedit duo aratra et tres mansiones. — 1115. Arator in Dnisicih. — Particulam villae nom. Dnesich, habebat eccl. Nepomucensis, quam abbas Kladrub. Reinherus emit pro ccc marcis.

Dobenina ante portam terrae. (Dobenina, Hrad. 146.)
1067. Ventum erat ad custodiae portam, qua itur in Poloniam, et in loco qui dicitur Dobenina, dux Wratislaus convocat populum. (Cosm.)

Dobříč. (Dobříč, Dobříš, Ber. 265.)
Saec. XII. Nosislav egregius miles, mon. Ostrov. dedit terram ad quatuor aratra in villa, quae Dobric, cum pomerio et cum silva.

Doksané. (Doksany, Lit. 42.)
1140—73. Wladislaus II. Doksanensi domui has villas donavit: Doczan, Mur etc.
Monasterium monialium ord. Praemonstrat. Ejus conditores Wladislaus II. dux et uxor ejus Gertrudi ca. 1142—43.

Dolané. (Dolanky, Dolanek, Lit. 43.)
1157. Wlah dal iest Doleass zemu Bogu i Svatemu Scepanu sse dwema dussnicoma (poss. eccl. Lutomír.).

Dolané. (Dolany, Rak. 2, 11, 16.)
1172. Otto de Dolan testis.

Domasici ad Kornic.
1167. Wladislaus II. monasterio Lutomyšl. contulit „totam silvam, agros et omnia prata usque ad rivum Zlupnice, praeter solam villam Domasic“. — 1167. Abbas Deocarus Lutomyšl. emit terram juxta Domasic a fratribus de S. Laurentio (Opatoviensi), quae vocatur Na Korniceh.

Domažilici castrum cum teloneo. (Domažlice, Klt. 375.)

Ca. 993. Boleslaus II. in theloneo Domasilicih fructum decimae septimanae concessit mon. Brevnov. — Ca. 1037—55. Brecislaus I. Domasilicyh civitate ebdomadam decimam thelonei contulit mon. Ostrov. cum capella S. Jacobi ap. — 1115. In Domaseliz tertiam partem thelonei cum duce habuit monast. Kladrubense. — 1115. Depolt dedit eidem monasterio in Domaselich locum ad habitandum et pratum et arbustum et inter duas vias terram ad $^1/_2$ aratrum. — 1183. Cladrubiensis locus totius decimationis immunitatem per omnes circuitus et villas — duabus villis Dudlenovice et Walterova et hebdomade thelonei in Tugast, quae ad ipsum claustrum pertinebant, vice decimarum episcopo traditis perpetuo jure obtinuit. — 1186. In Domaseliz mon. Kladrub. tertiam partem thelonei habuit cum duce. Postea vero concambium fecerunt libertatis causa cum dom. Hermanno episc. Prag. pro decimatione, addentes episcopatui duas villas W. et D. — Otacarus I. monasterio Ostrov. capellam S. Jacobi ap. in Domaslich, quae quondam a jurisdictione ecclesiae Ostrovensis per violentiam fuerat ablata, cum suis appendiciis perpetuo possidendam restauravit. — 1228. In provincia Pilznensi IX. theloneum Domasilici, proventus mon. St. Georgii.

Cf. Tugošč provincia, radix alterius nominis castri Domažilici: Taugst, Taus. Wogastis-burc Fredegarii ad a. 630. (?)

Domoraz. (Domoraz, Prach. 345.)

1045. villa mon. Brevnov.: Domarazi duos homines.

Donín castrum.

1107. castellum Donin. — 1113. Donin castrum (Cosm.) — 1121. Eodem anno dux Wladislaus reaedificavit oppidum Donin. (Cosm.) — 1126. Eodem anno Sobeslaus dux rediens ad sua, cepit Bracislaum catenatumque duxit in castellum nomine Donin. (Cosm. Cont.) — 1130. Wladislaus I. uxori Wigberti contulit tertium denarium in castro Donin. (Cosm. Cont.) — 1212. Fridericus II. imp. Otacharo I. regi castrum Donin cum

suis pertinentiis donavit et confirmavit. (Priv. 1212, 26. Sept. Basileae datum.)

(Donín = Dohna nunc saxonica. Cf. nostrum Codicem juris boem. I. num. 41.)

Dragalčici. (Dragaučici, Drahelčice, Rak. 16.)

1186. Fridericus mon. Kladrub. ad capellam S. Galli custodes quinque assignavit in villa Dragaucicih, quorum nomina sunt haec: Mutis, Radek, Neprivad, Merzata, Coyata.

Drahinici. (Drahonice, Prach. 363.)

1228. villa mon. S. Georgii in provincia Bozensi.

Drahlici. (Drahlovice, Ber. 249.)

1088. Drahlicih Hual nozidlnik cum terra ad aratrum eccl. Wyšegrad.

Drahomyšl. (Drahomyšl = Dreiamscheln, Zat. 23.)

1115. Dobrehc etiam dedit terram ad aratrum in proprietatem S. Mariae (Kladrub.) in villa Dragomisle.

Drahúň silva ad Opatovic.

Ca. 1086. Wratislaus rex mon. Opatov. contulit villam Briezi et silvam Drahune et fluvium qui ipsam circumfluit silvam.

Draguš urbs.

Saec. IX. Boemi post stragem Wlastislai in campo Tursko terram Lucko intrantes — Neklan dux novam urbem in plano loco construens, nom. Dragus, super ripam fluvii Ogre (juxta pagum Postolopirt), tradidit eam et puerum Wlastizlai paedagogo, cui antea pater suus eum commiserat. (Cosm.)

U Dražka. (?)

1193. Agnes uxor Cunonis, filia Gumpoldi, mon. Plas. praedia trium villarum cum omnibus suis attinentiis — contulit, quarum nomina: Glubochi, Vplewi, Vdrascha et quartam nom. Zrubni. — 1204. Episc. Olom. testatur, quod dom. Agnes vidua in consecratione ecclesiae Plazensi contulit eidem villas: Mozidlnik, Hluboky, Uplevica, Udrazka, Srubni etc. — 1214. Idem Premysl I. rex: Mozidliz, Huboki, Vplevice, Vdraska, Srubni.

Drasovici. (Drasovice, Drasov, Ber. 269.)
999.—1003. Boleslaus III. mon. Ostrov. confert piscatores Drazovichich. — 1037.—55. Piscatores Drazowycyh Brecislaus I. contulit. — 1057. Spitigneus II. eccl. Lutomer. confert in provincia Drasovicih Radek custodem apum cum filio et cum terra omnibusque appendiciis.

Dřevčici. (Dřevčice, Kúř. 239.)
1052. Villa quam Brecislaus I. contulit eccl. Boleslav: Dreucici.

Dřevíč castrum et provincia. (Dřevíč, Žat. 24.)
1004. Dux Odalricus rediens in patriam, intrat munitissimum castrum nom. Dreuic, unde militem millit sibi fidelem et ammonet, quo intrans urbem Pragam etc. (Cosm.)
Provincia: 1135. Soběslaus I. eccl. Wyssegrad. confirmat: De venditione provinciae Dreuic decimus denarius, decimus bos, decimus manipulus. — 1175. Petrus praefectus de Dreuvic cum fratribus suis Milgost et Agna.

Dřezho-lupy. (Dreskolupy, Schiesglock 25.)
Saec. XII. villa comitis Georgii de Milevsk, qui eam contulit mon. Milevensi. — 1207. Gerlachus abbas de Milevsk tradidit Slavconi comiti pro Tynčan villas Tsyrnochow et in villis duabus, Trescolup et Cralup, quicquid Georgius, fundator mon. Milevicensis, habuit.

Drízžeči. (Dřísy, Kúř. 241.)
1052. Villa quam Brecislaus I. contulit eccl. Boleslav: Drisech.

Dubeč. (Dubeč, Kúř. 235.)
Ca. 1088. Dubci terra eccl. Wyssegrad ad duo aratra cum duobus rusticis. — 1130. Villa Dubci, unius fratris usibus deputata.

Dubna rivulus. (Dubno villa, Ber. 266.)
Ca. 993. Boleslaus II. mon. Brevnov. contulit Skochouicz piscatores cum ipsa villa, cujus termini sunt Cralowa hora et duo rivuli Dubna et Sala cum flumine Wltawa.

Dúbravica. (Doubravice = Dobrawitz, Plz. 406.)
Ca. 1193. Dětleb villam patris sui Gumpoldi: Dubrauiz, Bor, Mladatic, pro remedio animae suae ecclesiae Plas. traditas, in pace pro anima sua habere ei permisit.

Dúbravica. (Doubravice, Bol. 107.)
1052. Na Dubravici ministeriales eccl. Boleslav. Dobrata cum filius Zbis, Dobesta; Nayapa cum filiis.

Dúbravica. (Doubravice = Tauberwitz, Lit. 71.)
1057. Dubraviciea possessio eccl. Lutomer.

Dúbravnica. (Doubravice, Chrud. 167.)
1167. Dux Brecislaus I. mon. Lutomyšl. dedit Na dubraunici equas indomitas cum pascuis et custodibus earum.

Dúblebi urbs et provincia.
Slavniconis principatus plagam ad australem has habuit urbes terminales: Chynow, Dudlebi, Netoliczi usque ad mediam silvam. (Cosm.) — 1087. De messoribus Dudleuensibus praeposito Wissegrad, decima ovis.
Beneficiarii: 1175. Kochan praefectus de Dudeleb. 1179. Pillunc de Tudelieb, qui jussu ducis disterminavit praedium Zahor.

Dúdlebec. (?)
1165. Wladislaus II. mon. Waltsass. addidit in provincia Satcensi villam nomine Dudlebec cum campo Preulaka et cum aqua Oegre.

Dudlebci. (Doudlebice, Ber. 260.)
1228. Dudlebcih villa mon. S. Georgii.

Dudlenovici. (?)
1115. Villam plenam Doulenovici Wladislaus I. contulit mon. Kladrub. — 1183. Cladrubiensis locus totius decimationis immunitatem per omnes circuitus et villas, excepto circuito in Krassou et villa in Lebeunice, duabus villis, Dudlenouice et Walterova et hebdomade thelonei in Tugast – vice decimarum episcopo traditis, perpetuo jure obtinuit.

Dušníky. (Dušníky, Lit. 43.)
1140.—73. Vladislaus II. domui Doksan. has villas donavit: Dusnicih medietatem villae.

Dušníky. (Dušníky una Rak. 17, altera Kúř. 241.)
Saec. XII. Dusnici et alia Dusnici villae mon. S. Georgii.
Dušník = pro anima (za duši) datus, proanimatus, Dušníky = proanimati.

Dvokotloky. (Zvokotoky, Zvotoky. Prach. 340.)
1045. Brecislaus II. mon. Brevnov. Dwocotloki et Sivohibice.

Egra fluvius v. Ogra.

Erpožice dvůr. (Erpužice = Welperschitz, Plz. 402.)
1175. Soběslaus II. fratribus de Plas petentibus commutavit praedium Erposih nom., quod contulit eis pro salute animae suae Boguzlaus camerarius, filius Scaste, praedio suo Lugow.

Gabr, via cum theloneo. (Habry, Časl. 206.)
1101. Teutonici magna undique coarctati angustia, per angustam viam et nimis arctam semitam, qua itur trans silvam ad Gabr, turpem noctu maturaverunt fugam; ibi propter difficilem viam omnem exercitus cum rebus usualibus projecit sarcinam. (Cosm.)
Ca. 1207. Theobaldus, dux Caslaviensis, inter bona ecclesiae Wilalmoviensis et villae suae, quae est in theloneo sita, metas constituit. — Theobaldus eidem ecclesiae quartam septimanam in theloneo, quod Habr nuncupatur, adjiciens confirmat; sex autem ad castellanos ebdomadas pertinere decrevit.

Hajná. (Hajná, Prach. 344.)
1045. villa mon. Brevnov. in circuitu Brecislai I. — 1406 tota villa Hayna.

St. Galli capella ad Zbraslav.
1115—1186. Ad capellam S. Galli custodes quinque sunt deputati in villa Dragaucicih, quorum haec sunt nomina: Mutis, Radek, Nepriuad, Mersata, Coyata. (Mon. Kladrub.)

Gavraň. (?)
Saec. XII. Zbraslaw quoque magnae memoriae vir., b. Joanni Bapt. in Ostrow beneficium tale contulit, vid. capellam S.

Adalberti cum terra ad quinque aratra in villa Thuclecyh, quae etiam dicitur Hawranj.

Gedčané, tribus Polonica.

1039. Brecislaus I. perducens Polonos de castello Gdec in Boemiam, dat eis partem silvae quae Crinin, non modicam, constituens eis unum ex ipsis praefectum et judicem, et decernit ut sub lege quam in Polonia habuerant, tam ipsi quam eorum posteri vivant, atque nomine ab urbe derivato usque hodie nuncupantur Gedcane. (Cosmas.)

Poznan, Gneznen, Wladislau, Gdech (Chron. Pol. Pertz. XI. 431.)

Glavno. (Hlavno Sudovo, Kúř. 240.)

Ca. 1130. Suda primas Olomucensis vendit praedium suum in quadam Boemiensi villa nom. Glaune, Heinrico ep.

Hlinná ad ecclesiam. (Hlinná, Kostelec Vrbatův, Chrd. 170 et 185.)

Ca. 1086. Wratislaus rex mon. Opatov. confert „Hilna" quoque villam, quae dicitur „Ad ecclesiam" ob differentiam alterius villae eodem nomine dictae, et circuitionem silvae juxta eandem villam usque ad flumen Robuchin et usque ad silvam Wrbate et Zdezlai villas.

Hlinné. (Hlinné = Lihn, Plz. 400.)

1115. Hval presbyter dedit mon. Kladrub. totam hereditatem suam in villa Hlinen.

Gljusov. (Hlízov, Časl. 215.)

1142. Mon. Sedlec. collatae sunt: Glusow.

Gluboký. (Hluboké, Plz. 407.)

1193. Praedia trium villarum: Glubochi, Vplewi, Vdrascha et villam Zrubni Cuno (de Potvorov) vendidit Draslao; Agnes uxor Cunonis vidua, has villas hereditario jure a Draslao proprio suo argento redemit et pro remedio animae suae maritique ceterorumque parentum, fratribus in Plaz perpetuo jure possidenda contulit.

Hluboký. (Hluboky, Tiefenbach, Lok. 407.)

1196 villa Hluboki a com. Milgost collata conventui Mastov.

Glupenovo. (?)
Wladislaus II. contulit monasterio Kladrub. villas viginti quinque integras: Glupenowo ...

Glupoglavy (Hlupohlavy, Lit. 47.)
Saec. XII. Villa mon. S. Georgii in provincia Lutomericensi: Glupoglavi.

Glusín. (?)
Saec. XII. Villa mon. Doksan: Glusin.

Gněvin Most, Pons Gněvin. (Most, Brüx, Žat. 27.)
1041. Saxones cum duce Occardo Boemiam ingrediuntur et unam parvam regionem, quae est circa fluvium Bělinam, hostiliter demoliuntur. Interea dux eorum, famam ut percepit sinistram, Sclavos de Caesare habuisset victoriam, fixit gradum ad Pontem Gnevin juxta fluvium Belinam, valde sollicitus. (Cosm.)
1207. Cojata filius Grabisse mon. Ossec. obtulit decimas vini in Mochta. — 1207. Jaroslaus de Zabrussan eidem monasterio addidit decimam septimanam fori in Mochta. — 1209 in Ponte decima vini ac fori spectans ad mon. Ossek. — 1227. Cojata filius Grabisse per testamentum ecclesiae Zderazensi reliquit Gnevin Most cum omnibus appendiciis suis. 1238 judex de Bruchis. — 1253. Hospitale in Prveckes cum capella S. Wenceslai adjacente, cum villis et aliis pertinentiis suis Wenceslaus I. confert hospitali S. Francisci Pragae.

Gněvnici. (Hněvnice, Plz. 395.)
1115. Gněvnici, in qua villa Wladislaus I. mon. Kladrub. dedit terram ad X aratra. — 1115. Aratores Gneunicih.

Hobšovici. (Hobšovice, Rak. 4.)
1185. Vescemilus de Hobscouiz testis.

Godoviz. (Hodoviz = Hodowies, Plz. 407.)
1169 villa Hodoviz in circuitione juxta Plaz, quam Vladislaus II. contulit fratribus hosp. S. Joannis Hier. cum Osojm, Plane et Cachow. — 1186. Wolfkerus et Willelmus de Godoviz.

Hodyně. (Hodyně, Ber. 249.)
S. Ivanus revertens de castro Tetin transivit per villas, una vocatur Hodyně, altera Svinary. (Leg.)

Gogolici portus et villa. (Hoholice, Ouholice, Rak. 10.)
1088. Wratislaus II. eccl. Wyssegrad. addidit tres portus: Na Otaue, Gogolicih, Lunih. — 1130. Dimidiam partem indomitarum equarum Gogolicih fratribus, et dimidiam praeposito. (Portus = převoz).

Hole silva ad Polínka. (Plz. 404.)
1183 omnem silvam circa et infra villas V polene, Wranow jacentem, quae vulg. dicitur Hole, ubi custodes silvae ducalis, qui dicuntur hayni.

Goliň. (Holín, Ber. 248.)
Ca. 1088. Na Golini terra eccl. Wyssegrad. ad aratrum cum custode ecclesiae. — 1253 villa Holen destinata ad reparationem fracturae pontis Pragensis, collata hospitali S. Francisci in pede pontis.

Golotyly teloneum. (?)
1088. In via Golotilensi de teloneo competebat eccl. Wyšegrad. octavus denarius.

Golonohy. (Holonohy ad Úhonenic.)
1143. Dux Wladislaus I. mon. Strahow. dedit „villam Golonozeh". — 1410. Villa Holoňow.

Holočrěvi. (Holostřevy = Holletzried, Plz. 395.)
1186. Contulerunt parentes Friderici ducis villas 25 integras: Holocrewi.

Golo-úsi. (Holousy, Rak. 18.)
Saec. XII. Villa mon. S. Georgii: Golovsi in prov. circa castrum Pragense.

Gonezovici. (Honezovice = Honositz, Klat. 380.)
1115 in Gonezouicih Wladislaus I. mon. Kladrub. contulit VII mansiones.

Za Gorú. (Záhoří, Prach. 334 aut 362.)
Saec. XII. Villa mon. S. Georgii: Za gorú in prov. Bozen.

Hora kamenná (Kamenná Hora, Lok. 427.)
1186. Tempore quo regnavit, rex Wladislaus II. contulit eccl. Kladrub. circuitum quod Vgezd, in quo sunt sitae novem villae, quorum nomina: Kamenna Hora etc.

Gorici. (Hořice, Bydž. 131.)
1135—39. Joannes ep. Prag. confert mon. Strahow. Goricih dimidiam villam.

Gorky. (?)
1115 villam plenam Gorki Wladislaus I. contulit mon. Kladrub. — Saec. XII. W horcach, villa mon. S. Georgii, in prov. Pilsenensi.

Goršóv. (Horšóv Týn, Bischofteinitz, Klat. 378.)
Ca. 1186. Ositca villicus dom. episcopi in Gorsov.
1186. Archidiaconus: Christophorus Tinensis.

Hořelici. (Hořelice, Rak. 16.)
Saec. XII. Villa mon. S. Georgii in prov. circa castrum Pragense: Goreluci.

Gosten. (Hostin, Rak. 247.)
Ca. 1088. Gozteni tota villa, praeter hospites abbatis Brevnov., possessio eccl. Wysegrad. — 1130. Gosteni villa trium fratrum Wyssegrad usibus deputata.

Hostin-Hradec. (Hostinné, Arnau, Bydž. 128.)
1139. Dux Sobeslaus I. curtem suam adiit, quae Chwoyno dicitur, ibique manens castrum renovare coepit, quod Hostin Hradecz (Hosczin-Hradec) dicitur. Cogitabat enim, si Deus voluisset inter se et duces Poloniae dissensionem facere (et fortasse ex aliqua parte ut suo dominio eos subjugare posset), et ob hoc castra, quae sunt ex parte illorum, firmabat. (Cosm. Cont.) — 1140. Cum gravius et gravius infirmitas ducis invalesceret, sublatus de Chwoynow portatus est in castrum jam supra dictum. — Hi qui circa ducem erant, pariter cum domina conjuge ejus Adleyta, nullum signum recuperandae sanitatis in eo notantes, oleo perunxerunt eum; deinde XVI Kal. Mart. (14. Febr.) migravit a saeculo.

Gostivar. (Hostivař, Rak. 15.)

1068. Qui advenientes, castra fixerunt in pratis juxta villam Gostivar et mittunt ad ducem Wratislaum, qui fratrem suum Jaromir eligit in episcopum. (Cosm.)

1132. Pribislaua conjunx Groznatae villam Goztivar cum silva adjacente, agris et pratis et omni proprietate sua, quam inibi possidebat, ad hospitale Deo et S. Joanni B. in Zazou omnibus suis affinibus in id consentientibus obtulit. (Chron. Saz.)

Hoštětice. (?)

1186. Otto dedit mon. Kladrub. dimidiam villam Hoztetiz, alteram partem emit Adalbertus abbas ab Hermanno de Mirkov.

Hovořice. (Hovořovice, Hovorčeves, Kůř. 243.)

1130. Gouorice — unius fratrum eccl. Wyssegrad.

Gradec urbs et provincia. (Hradec Králové, Hrad. 134.)

1086. Primatis mei (Wratislai II.) cellam in Gradecensi territorio sitam (i. e. Opatouic).

1091. Bracislaus cum omnibus, qui suam transierant in aciem, secessit in partes Gradec et ibi morabatur. (Cosm.)

1109. Otto frater Zuatopluc et Wacek comes, venientes de castro Gradec, cum tribus scaris militum castra metati sunt circa Rokitnicam rivulum. Disposuerat antea dux Wladizlaus, quod in praedicta urbe Gradec ipse Natale Domini celebraret. (Id.)

1108. Borivoj populavit provinciam fere totam Gradec. (Chron. Opatov.)

1115. Wladislaus dux Sobeslao fratri suo dat civitatem Gradec et totam circa adjacentem cum quatuor castellis provinciam. (Id.)

1130. Decimam marcam de annuo tributo habeant fratres Wyssegrad. in his civitatibus: Camenci, Gradci, Opocne.

1134. De Bohemis (in expeditione versus Poloniam Silesiacam) praeter Gradicenses, Chrudimenses, Boleslavienses, Czaslavienses, Gladcenses plures non fuerunt. (Cosm. Cont.)

1289. Wenceslaus dom. Bolconi petenti a nobis oppidum nostrum Schonenberch in regno nostro situm in provincia

Grecensi cum villis Michelsdorf, Trutlibesdorf, Kindesdorf et Kunigeshain ad oppidum spectantibus . . .

1305. Villa Probodow in Gracensi provincia.

Beneficiarii: Prisnoborius judex de Hradecz 1229.

Praepositura: Ca. 1086. Tessen praepositus Gradicensis mon. Opatov. obtulit terram unius aratri in Placzic.

Archidiaconatus: Archidiaconus Zdyzlaus Gratcensis 1216.

Hradec. (Hradce = Hradzen, Plz. 393.)

1186 villa Zlutizi, Bukovina, Hradez, quas Sdimir contulit mon. Kladrub., et Fridericus dux cambivit cum ejusdem ecclesiae fratribus, tradens tres alias villas, loco ipsorum viciniores: Plezom etc. — Terram pertinentem Hradez contulit dux Frid. eidem loco jure concambii pro circuitu, qui Olesna.

Hradec Levý. (Levý Hradec, Rak. 12.)

Boemi parvo clausi in oppido, quod dicitur Levigradec (Cosm.) — 982 facta est autem haec electio (i. e. Woytěchii in episcopum Pragensem) non longe ab urbe Praga Levigradec in oppido. (Id.)

Quique reversi ad sua in castellum, cui vocabulum erat Hradecz supra Multaviam, statuunt sacerdotem, fundantes ecclesiam in honore b. Clementis. (Vita S. Ludmilae.)

1132. Zbygneus sacerdos fundans ecclesiam in villa Unětic, dedit ei in Levo-Gradech terram ad aratrum, ubi christianitas incoepta est, et Ostoj proanimatus in ea sedens et solvens XII denarios unoquoque anno. Status autem campi istius est juxta Suadow et juxta Colasov et juxta Hrivnatez; locus vero terrae in ipso castro est cum uno agro et pomerium in horreo.

Gradek castrum. (?)

Cc. 1045 Brecislaus I. mon. Ostrov. confert castrum Gradek, situm ad influentiam rivuli Hotunie in flumen Zazaua, quod quondam a praedecessoribus ejus e ruinis loci deserti ad custodiam aurifossorum, qui in Ylow habitant, porro progenitoribus cujusdam Dlugomiri militis, dicti Wczelye, pro praeda et incendio, quod Boleslaus II., avus Brecislai, ipsis in guerra

intulerat, in restaurationem dampni in feudum traditum, ab ipsisque aliquo tempore tranquille tentum, abindeque nuncupatum fuisset, post ejus vero, dicti Dlugomiri, fugam in Poloniam fisco camerae obvenisset.

Gradišče monasterium. (Hradiště Mnichové, Bol. 90.)
Monasterium ordinis Cisterciensium (grisei ordinis monachorum) fundatum ca. a. 1177 (Gredis monachorum). Abbates: 1184–89 Theodoricus, Fridericus.

Gradišče. (Hradiště, Hradišťsko nad Vltavou, Ber. 250?)
1088. Gradisci novem manses cum piscatoribus octo.

Gradišče ad Ostroměř. (Hradisko, Bydž. 123.)
1135—39. Joannes ep. Prag. mon. Strahov. dedit „Gradiste et silvam".

Gradišče ad Pardubic. (Hradiště, Chrud. 168.)
1142 dom. Miroslav confert mon. Sedlec. Gradische cum aqua, pratis et silva. 1167 dux Brecislaus mon. Lutomysl. V gradisci contulit duos piscatores Wec et Zoretam cum omni prole sua.

Na gradišči ad Vojkovic, meta.
1178—88. Dux Fridericus ab imp. Friderico domui Doksan. obtinuit in Sedlecensi provincia Woykowic his terminis: Primus a Buistrice, secundus ad Techomizl, tertius ad Nagradis etc.

Na Gradišči. (Hradiště, Prach. 342 aut 362.)
Saec. XII. Villa mon. S. Georgii in provincia Bozensi: Na gradisci.

Grajkovici. (Hrejkovice, Prach. 334.)
Saec. XII. Villulae episcopales dictae Dobrotessic, Mymonovic, Graykouic, quas ep. Henricus (1182—97) cambivit cum dom. Georgio de Milevsk pro villis Strana, Bratrejow, Zbudkov et Chrastna.

Hrbovici. (Hrbovice = Herbitz, Lit. 56.)
1169. Wladislaus II. hosp. S. Joannis Hier. confirmat duas villas in provincia Belinensi, dictas Borizlave et Hribovici, quae coronae adjacebant.

Hrdli. (Hrdly, Rak. 7.)
Ca. 993 Boleslaus II. monasterio Brevnov. obtulit in Lutomericensi provincia villam Heridel dictam cum hospitibus et silva adjacente, cum paludibus et flumine Ogre usque ad Albiam

Grivčici. (Hrivčice, Rak. 6.)
1143 possessio mon. Strahow. quam contulit Wladislaus I. „Griwcicih XX terrae". — 1410 villa Hrywczycz.

Grivnatec meta.
1132. Status autem campi (ecclesiae Uneticensi a Zbygneo sacerdote collati) est juxta Suadow et juxta Colasou et juxta Hriunatecz.

Hromnice. (Hromnice, Plz. 408.)
1181. Sulivoj de Gromnice testis.

Grûbovici. (Roubovice, Chrud. 171.)
1167. Abbas Deocarus Lutomyšl. emit silvam a fratribus de S. Laurentio (Opatovic) juxta Grubouic.

Grusici. (Hrusice, Ber. 254.)
Saec. XII. Bolecey miles capellam S. Adalberti, quod est Hrusicyh, cum terra ad III aratra, et silvam mon. Ostrov. contulit.

Grušová. (Hrušová, Chrud. 178.)
1167. Wladislaus II. mon. Lutomysl. dedit et Grussoua cum flumine Trstenice usque ad Vzplise et silva quae dicitur Mokrenice.

Grutov, agri, territorium (ad castrum Lutomyssl.).
1055. Jussa viri Moravienses faciunt et jam ultra Portam custodiae in agris Grutou duci (Spytigneo) obviam veniunt. (Cosm.) — Brecislaus II. (1092—1100) monasterio Lutomyšl. dedit omulum per totum Grutou colligendum; constituit etiam, ut si quis quamcunque feram in territorio illo ceperit, partem carnium ejus ecclesiae solvat, et qui non solverit, 300 nummos castellano, bovem vero ecclesia habeat.

Gruzinĕvici. (Rousinov, Rak. 1.)
1088 possessio eccl. Wyssegrad: Gruzineuizi terra ad duo aratra.

Hunčany. (?)

1196 villa Hunschan a com. Milgost collata conventui Mašťov.

Gusinec. (Husinec, Rak. 12.)

Saec. XII. Villa mon. S. Georgii in prov. circa castrum Pragense: Guscinec.

Húsinici. (Husinec, Prach. 357.)

Saec. XII. Husinci, villa mon. S. Georgii in prov. Prachinensi.

Gutna (Guntna) rivus.

Distinguitur illa provincia Lucensis quinque regionibus locorum per compendia: Prima regio est sita circa rivum nom. Gutna, Guntna. (Cosm.)

Hydčici. (Hydčice, Prach. 344.)

1045. Hidchice villa in circuitu Brecislai I., mon. Brevnov. collata. — 1045. Hidchice et ibidem villam ejusdem nominis Hidcice cum flumine. — 1406. Tota villa Hidczicze Major, item tota villa Hidczicze Minor.

Chanavi montes.

1043. Eppo praefectus Belinensis, mon. Brevnov. contulit ultra montes Chanaui montem usque ad rivulum Zabudou et montem Yzar tendentem per Krennhin versus Hlum usque ad stratam publicam, quemadmodum dux Bracislaus pro servitio ei dederat hereditario jure possidendum.

Na Chelmě. (Záchlumí, Eisenhüttel, Plz. 404.)

1115. Wladislaus I. mon. Kladrub. dedit villas 25 plenas: Cladorubi . . . Mladatici, Na chelme, Camik.

Chlum. (?)

Ca. 1043. Eppo Belinensis mon. Brevnov. contulit montem Yzar tendentem per Krennhin versus Hlum usque ad stratam publicam.

Chlumec castrum. (Chlumec = Kulm, Lit. 55.)

Ca. 993 theloneum: fructus decimae septimanae Na Chlumcy collatur mon. Brevnov. 1040. Henricus II. altera via, qua itur per Zribiam et est exitus de silva in istam terram per castrum Hlumec, jussit Saxones intrare Boemiam, quorum tunc

temporis dux erat Occardus. (Cosm.) — Ca. 1057. In via per Hlumec (per silvam Hulmez) octavam hebdomadam duci debitam Spytigneus II. Lutomer. tradidit ecclesiae. — 1107. Svatopluk coadunato exercitu veniens sub ipso introitu silvae juxta oppidum Hlimecz, convocat proceres et satrapas. (Cosm.) — 1126. Luderius rex cum suo exercitu venit contra Boemos juxta oppidum nom. Chlumecz, ubi Sobeslaus dux XII. Kal. Mart. prostravit 500 primates illorum (Cosm. Cont.). — Postquam autem Sobeslaus cognovit regem Lotharium cum valida Saxonum manu Boemicis appropinquare terminis, festinavit ei occurrere ad castrum, quod Hlumec dicitur. (Cont.)

Chlumčané. (Chlumčany, Žat. 39.)
1178. Soběslaus II. mon. Wyssegrad. contulit villam Hulmisac in censu XII cent. denariorum.
(Hulmisac = Chlumčás = loc. Chlumčanie.)

Chlýstina. (Chlustina, Ber. 272.)
Ca. 1172. Strezivoj de Hlyztina testis.

Chocebuz. (Chcebuz = Cebus, Lit. 76.)
993. Boleslaus II. mon. Brevnov. contulit in Chocebuz ecclesiam cum duabus curiis et terram sufficientem cum monte Oztrov nuncupato.

Chočov. (Chodžov, Chočov = Koschow, Lit. 45.)
Ca. 1057. Spytigneus II. eccl. Lutomer. dedit 14 villas: Hocsov.

Chodom. (Chodouny, Lit. 43.)
1140—73. Wladislaus II. domui Doksan. dedit villas: Chudumi.

Chodov. (Chodov = Chodau, Lok. 413.)
1196. Henricus dux episcopus confirmat, domum Waldsass. juste et canonice in Boemia possidere in provincia Zedlec Codou cum finibus.

Chodovlici. (Chodovlice, Lit. 47.)
Saec. XII. Villa S. Georgii in prov. Lutomer. Hodowlici.

Chomutovici. (Chomutovice, Kúř. 232.)
Saec. XII Comes Swoise mon. Ostrov. dedit terram ad duo aratra in villa, quae dicitur Chomutowycyh.

Chorušici. (Chorušice, Bol. 84.)
Saec. XII. Villa mon. S. Georgii in prov. Melnicensi: Horusici et Horuski.

Chorúšky. (Chorúšky, Bol. 84.)
Saec. XII. Villa S. Georgii in prov. Melnicensi: Horusci.

Chotěbudici. (Chotěbudice = Köttowitz, Žat. 36.)
1196 villa Gotibodic a com. Milgost collata conventui Maštov.

Choteč rivulus.
1186. Fridericus I. mon. Kladrub. confirmat Lagouicih piscatores et flumen quod dicitur Misa, a flumine Wultawa usquae ad rivulum Chotecs.

Choteč. (Choteč, Rak. 16.)
1199. Hugo de Czielezicz ecclesiae S. Sepulcri donavit dimidium villae in Chotziecz olim suae.

Chotěševici. (Chotěšovice, Klein-Ch., Plz. 394.)
1115 in Hoteseuicih Wladislaus I. mon. Kladrub. contulit quatuor mansiones. — Oudalricus comes dedit insulam humuli in villa quae vocatur Goteseuih.

Chotěšov. (Chotešov, Lit. 44.)
Ca. 1057. Hotesoue hospitalis terra ad aratrum eccl. Lutomer. — 1140—73. villam Goteschow Wladislaus II. dedit mon. Doksan.

Chotěšov. (Chotěšov = Chotieschau, Žat. 39.)
Ca. 1057 in prov. Satcensi: Hotsoue campanarius cum terra ad aratrum, ministerialis eccl. Lutomer.

Chotětov. (Chotětov, Kúř. 240.)
Ca. 1057. Spytigneus II. eccl. Lutomir. contulit Hotetov fabrum cum terra ad aratrum.

Chotíš. (Chotíš, Kúř. 233.)

Ca. 1088 Hotisi VIII manses eccl. Wyssegrad. cum quatuor heredibus: Leb, Vacena, Jutros, Slugota.

Chotovici. (Kotovice, Chrud. 180.)

1142. Mon. Sedlec. collatae sunt a primo fundationis exordio possessiones Miroslai primatis: Selmic, Hothovici.

Chotúň. (Chotouň, Kúř. 229.)

Tempore ducis Oudalrici fuit heremita Procopius nomine natione Boemicus de villae Chotun. (Cosm Cont.)

Svatý Prokop jest slovanského roda,
nedaleko ot Českého Broda;
tej vsi jmě Chotúň diejí. (Leg.)

Abbas Procopius ex pago Chotun zemani filius ad superos migravit. (Neplach.) — S. Procopius Chotunensis dynasta. — 1249. Bruno ep. Olomuc. duas villas in Boemia sitas, Cothun vid. et Pretoca, jure pheodali contulit Gallo de Lewenberch.

Chotúň rivulus.

1045 rivulus Hotunie, ad cujus influentiam in flumen Zazaua situm est castrum Gradek.

Chraberci. (Chraberce = Chrabrzetz, Žat. 24.)

1092. Conradus dux mon. Ostrov. contulit in Bohemia praedium Zahoregewicy et villam Chrabercyh.

Chraberci. (Krabčice, Rak. 8.)

Ca. 1102 villa Hraberci, quam Nemoy de genere Wrssewic destinavit fratribus ecclesiae Wyssegrad.

Chrast. (Chrast, Plz. 411.)

1186. Fridericus dux mon. Kladrub. contulit villam Hrazt pro remedio animae suae et pro salvatione animarum omnium praedecessorum nec non et successorum suorum.

Chrast curtile. (?)

1196. Milgost comes conventui Mastow. contulit curtile in Grazt.

Chrasten- (grad), urbs = Vyšegrad.

Urbs in rupe inter arbusta, quam moderni nuncupant Wissegrad, tunc autem ab arbustis traxerat nomen Hurasten. (Cosm.)

Chrasten-grad cf. Izchorosten apud Kyjev (Nestor.). Chrast = quercus, chrastí = quercetum.

Chrastná. (Chrastná = Chrasney, Lit. 47.)

1184. Henricus episc. concambio recepit a comite Georgio de Milewsk quatuor villas, quarum quarta Chrazna.

Chrašťané. (Chrašťany, Rak. 17. aut 21.)

Saec. XII. Villa mon. S. Georgii in provincia circa castrum Pragense: Krascani.

Chrovati, tribus Boemiae, prima et altera.

Termini episcopatus Pragensis ad aquilonem hii sunt: Psouane, Ghrovati (Chrouati) et altera Chrowati (Chrouati, Hrouati), Slasane etc. (Cosm.)

Ubojavši-že sja mati jego smerti i běža vъ Krovaty; Boleslavъ-že chotja ubiti ju, i posla po neja zlyi sovětnici, i oni-že šedše, i neobrětoša jeja. (Živ. sv. Vacsl.)

Chrudim. (Chrudim, Chrud. 163.)

1055. Brecislaus I. proposuerat inuadere Pannoniam; dumque procedens suum exspectat exercitum „Chrudim in urbe", acri pulsatur aegritudine. (Cosm.)

1055. Spitigneus novus dux vadit novum disponere Moraviae regnum; praemisitquae illius terrae ad primates litteras, in quibus nominatim vocat CCC viros et ut sibi „ad urbem Chrudim" occurrant, mandat etc. (Cosm.)

Ca. 1088 inter duo castra, sc. Grudim et Wratizlau, Janisouici villa.

1130. Fratres Wyssegrad. secundum praedeccesorum Soběslai I. instituta habebant „decimam marcam de annuo tributo in civitatibus: Hrudimi". Ad 993. Boleslaus II. fundans monasterium Brewnoviense adposuit „decimum forum, decimumque denarium de omni judicio in hiis civitatibus: Chrudimi".

1134. In hotili invasione Silesiae de Bohemis praeter Gradicenses, Chrudimenses etc. plures non fuerunt. (Cosm. Cont.)

Ca. 1207. Theobaldus dux Caslaviensis et Chrudimensis et Wratislaviensis.

1248. Otacarus rex baronibus, nobilibus, beneficiariis et judicibus in Chrudim . . . praecipit, ne libertates ecclesiae Sedlecensi indultas infringant.

Chrustimici. (Chrustenice, Rak. 16.)

1037—55. Brecislaus I. mon. Ostrov. contulit custodes ecclesiae S. Joannis Bapt. in Spelunca Chrustimicih.

Chudonici. (Chudenice, Bydž. 112.)

1135—39. Joannes ep. Pr. mon. Strahow dedit „Hudonicih quod habuit" et in eadem villa Mizlibor et uxor ejus dederunt terram ad tria aratra.

Chuchle. (Chuchle, Ber. 248.)

1132. XIII Kal. Febr. episcopo Meynardo in quadam villa Chuchel manente, lapis mirae magnitudinis de monte veniens, duas parietes domus, in qua erat episcopus, simul cum lecto episcopi contrivit,. ibique resedit; ille nescius quid faceret, saliens de lecto, juxta murum camini constiterat et ita illaesus evasit. (Cosm. Cont.)

(Conf. Cuculae ad Juvavum.)

Chúšč. (Chauč, Kauč = Kautz, Lit. 50.)

1057. Villa a Spytigneo II. eccl. Lutomer. data: Hucsci.

Chvalin. (Chvalin, Lit. 43.)

1140—73. Wladislaus II. domui Doksanensi donavit villas Doczan, Mur, Rohaci, Qualin etc.

Chvalovici. (Chvalovice, Lit. 47.)

Saec. XII. Villa mon. S. Georgii in prov. Lutomer.: Chwalowicih.

Chvaly. (Chvaly, Chvala, Kúř. 244.)

Ca. 1088 Hualah terra eccl. Wyssegrad. ad tria aratra. — 1130. villa Hualah, unius fratris Wyss. usibus deputata. —

1253. Wenceslaus I. confirmat hospitali S. Francisci villam Walowe (Valow, Walouwe), quae a Prag ad milliare distat, quam Chunradus cognomine Joculator, de regis consensu eis vendidit.

Chvastici. (?)
1186 villa Quastici super Methuga, quam Primizl ducis Frid. frater, dedit hospitali S. Joannis Hier. pro parte de Buitsow.

Chvojen mons. (Chvojno, Chojnín = Böhmisch-Kahn. Lit. 57.)
1169. Wladislaus I. mon. S. Joannis Hier. ad petitionem fratris sui Heinrici addidit silvam quandam usibus ipsorum necessariam juxta Olesnice, protendentem in medium montem Hwogen ad fluvium Lubuhce etc.

Chvojno curtis. (?)
1139. Post hoc Soběslaus dux curtem suam adiit, quae Chwojno dicitur, ibique manens castrum renovare coepit, quod Hostin-Hradecz dicitur. Proxima dominica ante Natalem Domini infirmitate tactus laetifera, lecto prosternitur. A. 1140 dum gravius graviusque infirmitas invalesceret, sublatus de Chuoynow portatus est in castrum jam supra dictum. (Cosm. Cont.)

Chvojnice. (?)
Saec. XII. Villa domus Doksan.: Hvoynic.

Chýlici. (Chýlice = Kilitz, Lok. 427.)
1192 villa in Chilichi, quae semper pleno jure ad fiscum spectabat regium, Premysl dux dedit fratribus mon. Brevnov. pro satisfactione injuriae et laesionis ipsis per eum et Wenceslaum patruum suum illatae. — Ca. 1211 bona in Ffilici monasterium Brevnov. cambio dedit Soběhrd filio Bezprem pro bonis in villa Levinici.

Chýnov castrum et provincia. (Chýnov, Tab. 299.)
Saec. X. Slavniconis principatus plagam ad australem (contra Theutonicos Orientales) has urbes habuit terminales: Chynov, Dudleby, Netolice. (Cosm.) — 1092—1100. Brecislaus II. monasterio Lutomysl. dedit Hinov singulis annis quatuor boves, duas vaccas, quatuor oves. — 1130. Decimam marcam annui

tributi addidit Soběslaus I. mon. Wyssegrad. in tribus his provinciis: Rokitnah, Csazlaui, Hinoue. — 1167. Monasterio Lutomyšl. dux Brecislaus II. dederat „Hinov singulis annis quatuor boves, duas vaccas et quatuor oves, pro quibus omnibus Wladizlaus II. rex postea rogatu pauperum illa sc. persolventium, constituit 1500 nummos accipiendos". — 1183. Gotschalcus abbas Selevensis profectus est in Luneuvic, deinde per Kynou et per Moraviam in Cunitz. (Gerl. Chr.)

Chýnovici. (Chynice = Chinitz, Lit. 48.)
Saec. XII. Villa domus Doksan: Chynowic.

Chýše. (Chýše, Lok. 424.)
1169. Ctibor de Chis testis, 1183 Jora, 1219 Tasso de Chis

Chýška. (Chýška veliká, Táb. 284.)
Ca. 1145. Wladislaus I. dux mon. Strahow dedit „Cisca villam pro anima Michahelis". — 1410. Villa Chysska.

Ingmerovice. (?)
1183. Fridericus dux eccl. S. Joannis Hier. pro Borislau dedit quasdam villas quondam ad Sathec pertinentes jam diu fere desertas, quarum nomina Inmeroui. 1185 Ingmerouiz.

Insula monasterium v. Ostrov.

Ysar mons. (Jezeř, Eisenberg, Ztc. 28.)
1043. Eppo praefectus Belinensis mon. Brevnov. contulit montem Yzar tendentem per Krennhnin versus Hlum etc.

Iwinbach et Iwinbuorne. (Eibenbach et Eibenborn, Eibenberg, Lok. 417.)
1165. Wladislaus rex mon. Waldsass contulit in silva ultra provinciam Sedlec ambitum quod sclavonice vgezd dicitur, a fonte rivi Helstre inferuis usque in rivum qui vulgo Iwenbach, et ab hoc rivo usque in fontem vocatum Iwinbuorne etc. — 1181. Termini hujus ambitus (i. e. újezd, meringe)..., donec minor Elstre et rivus Iwenbach in eum (Elstre) cadit.

S. Jacobi villa. (Sv. Jakub, Časl. 215.)
1165. Daniel ep. recognoscit se. die 19. Nov. recondidisse reliquias altari S. Mariae in villa S. Jacobi. Maria constructrix hujus ecclesiae cum filiis suis Zlueboro et Pavlo.

Jančice. (Jenčice, Lit. 47.)
1115. Jančic Tesik mon. Kladrub. dedit vgezd.

Janiševici. (Jenšovice, Chrud. 172.)
Ca. 1088. Villa inter duo castra, sc. Grudim et Wratizlau, Janisouici, tota a rege Wratizlao II. collata est ecclesiae Wissegrad. — 1130. Janiseuicih duorum fratrum praebenda.

Janišovici. (Jenišovice, Bol. 106.)
1135—39. Joannes ep. Pr. mon. Strahow. dedit „Janisouicih terram.“

Jaroměř arx. (Jaroměř, Hrad. 138.)
1126. Bracislaus in arce Jaromir retrusus est a Soběslao duce. (Cosm. Cont.)

Jasenica. (Jesenice, Kúř. 229.)
Ca. 1088. Wratislaus II. eccl. Wyssegrad. contulit Jazenice terram ad aratrum cum fabro.

Jerčané. (Jerčany, Kúř. 229.)
1055—61. Spytigneus I. mon. Ostrov. contulit Hercaz quosdam homines, qui ter in anno scultellas et caetera utensilia solvunt. — 1186. Mon. Kladrub. habuit in villa Geherzas duos tornatores Petrum et Goscam. — 1239 in provincia Pragensi habuit mon. Kladrub: Gerchas.
Jerčás = loc. Jerčané.

Jerusalem circuitus. (?)
1185. Fridericus dux, dans fratribus S. Joannis Hier. quasdam villas quondam ad Satec pertinentes, jam diu fere desertas: Stare Sedlo, Zblažim, Krsy, Kaišovice, Zahradku, Skršici, Na polené, Na polomi, Offrethin, Wiakossow, Ingmerovice, harum villarum culta et inculta ipsemet praesens

circuire fecit Groznatam, summum curiae venatorem, quam circuitionem „Jherusalem“ vocari praecepit et in ea ecclesiam fieri jussit in hon. S. Sepulcri Dominici et b. Joannis Bapt.

Jesutborici. (Jestbořice, Chrud. 166.)
1131. Tempore ducis Ottonis II. Olomucensis Joannes ep. a praefato duce emit Cromesir necnon et Jesutboricih curiam cum villis. Hae villae Jesutboricensi curiae adjacent: Opocen, Zbislau, Zezlauci, Pretoci, Rogozouicih. — 1147. Wladislaus II. ecclesiae Olomuc. confert, ne homines de Jesutboricensi circuitu a principe pro castrorum aedificatione vel imminenti expeditione inquietarentur.

Jezvé. (Jazve, Lit. 68.)
1197 villa Geswi, quam comes Groznata, si de transmarinis partibus reversus non fuerit, mon. Teplensi perpetuo deputavit.

Jílové. (Jílové, Kúř. 229.)
Ca. 1045 aurifossores, qui vulgo ylowci dicuntur et in Ylou habitant, ibique in vicinia ab antiquo aurum de terra ylovant seu decutiunt, a fecibus terrae separant et lavant extractum (Sternberg, Urk. Buch. 1.)

Jivňané. (Jivany = Gibian, Plz. 395.)
1115. Beneda dedit mon. Kladrub. totam hereditatem, quam habuit in Ivnas.
(Jivnás = loc. Jivnané.)

S. Joannis Bapt. Spelunca. (Sv. Ivan = Sv. Jan pod Skalou, Ber. 247.)
1037. Brecislaus capellam in Spelunca S. Joannis B. mon. Ostrov. addidit. — 1030. Bretislaus inducit fratres ord. S. Benedicti in heremum b. Ivani. (Neplach. Vita S. Ivani.)

Kačí gora. (Kačina Hora, Prach. 335?)
1088. Na Kacigore terra eccl. Wyssegrad. ad aratrum cum loco nomine Odol.

Kačin. (Kačín, Čásl. 215.)

Ca. 1142. Cacin villa dom. Miroslai, collata mon. Sedlec. cum omnibus attinentiis suis usque ad rivulum circa Borram silvam fluentem.

Kadaň burgus. (Kadaň = Kaaden, Žat. 34.)

Kadaň burgus novus. 1183. Fridericus dux fratribus hospitalariis S. Joannis Hier. parochiam, quae aedificatur in Kadan super Egram fluvium, confirmat. — 1186. Idem dux burgum novum super Ogre fluvium situm, nomine Cadan, ubi et ecclesiam hospitalariis S. Joannis Hier. aedificare ante concesserat, amplius perpetuo jure possidendum consensu uxoris suae Elisabeth, tradidit eisdem.

Kaišovici. (Keyšovice = Geischowitz, Plz. 404.)

1183. Fridericus dux hospitali S. Joannis Hier. pro Borislau dedit quasdam villas quondam ad Sathec pertinentes, jam diu fere desertas: Stare Sedlo ... Kaysouice ...

Kalinici. (Kalenice, Prach. 352.)

1045. Mon. Brevnov.: „Kalinicih duos homines".

Kaliště meta.

1132. Zbigneus sacerdos ecclesiae Unětic. contulit Huatym cum campo, et ecce meta: Magna via quae vadit Pragam, atque Calysce, Bridce rupis etc.

Kaliště.(?)

1186. Wladislaus II. mon. Kladrub. contulit ujezd, in quo sunt sitae novem villae: Calisce.

Kamenec castrum (?) **et provincia.**

Ca. 1088. In provincia Kamenecensi „de venditione decimus denarius" ecclesiae Wissegradensi. — 1130. Decimam marcam de annuo tributo fratres Wissegrad. in hiis civitatibus habeant, vid. Bolezlaui, Camenci, Gradci, Opocne etc.

Kamenica (ad Kaznějov, Plz. 408.).

1115. Zbigneu in Camenich dedit mon. Kladrub. ad unum aratrum.

Kamenice fluvius (locus: Kamenice Trhová, Chrud. 185.).
Ca. 1144. Camenica — terminus circuitus Lubac.

Kamen-most. (Kamenmost, Rak. 11.)
Ca. 1088. Kamene mozte terra eccl. Wyssegrad. ad tria aratra cum ministerialibus.

Kamýk. (Kamýk, Vrš-Kamýk, Ber. 260.)
1186. Fridericus dux morabatur „in loco qui vocatur na Camic“. — 1236. Wenceslaus I. rex: „Apud Camic“. — 1240. „Apud Camik“. — 1247 rex manens in Camich. — Rex Otacarus II. animo venandi more solito abdita silvarum provinciae olim Kamniczensis appetiit, et quia locus Zbraslaw sibi congruebat prae ceteris, saepe comitante episcopo ibidem crebrius pernoctavit. (Chron. A. Regiae.) — 1304 in districtu Kemniczensi villae forensis Hrzebnitz, Let, Nova Villa, Slaps, Lhota, Buss, Przestablicz, Lettscek, Zczechowicz, Khram.

Kamýk. (Kamitz. Lit. 57.)
1169. Wladislaus II. hosp. S. Joann. Hier. confert silvam ad fluvium Ljubuchce, „cujus meta ad villam Camic et ad Procetin usque Tesk et tunc ad Rufum puteum . . .“

Kamýk. (Kamýk, Kameyk, Rak. 12.)
Saec. XII. Villa S. Georgii Kamyk in provincia circa castrum (Pragense).

Kanici. (Kanice, Prach. 345.)
1045. Brecislaus I. mon. Brevnov. contulit Canicih dimidiam villam.

Kanín. (Kanin, Kůř. 237.)
Saec. XII. Kanin in provincia Gawransko, villa mon. S. Georgii.

Kazin (i. e. castrum).
Kazi, major natu Crocconis filia, cujus usque hodie cernitur tumulus, ab incolis terrae ob memoriam suae dominae nimis

alte congestus, super ripam fluminis Mse, juxta viam qua itur in partes provinciae Bechin per montem qui dicitur Osseca. (Cosm.) — Castrum, quod est situm in monte Osseca juxta flumen Msam. (Id.)

Kaznějov. (Kaznějov, Kaznov, Plz. 408.)
1146 villa Kaznev, quam Wladislaus II. tradidit mon. Plas.

Kbely. (Kbely, Kúř. 238.)
1130 terram eccl. Wyssegr. in villa quae dicitur Kbel, ad unum aratrum sufficientem cum VI bobus et semine, attinere ad custodiam censet Soběslaus I., hac tamen sub conditione, ut quivis custos pro ea fratribus servitium annuatim persolvat.

Kerstry. (?)
1194. Dama de Kerstr testis.

Kladoruby. (Kladruby = Kladrau, Plz. 39.)
1115. Villa quam Wladislaus dux dedit mon. Kladrub. — 1186. In Cladrub quoque forum ab omni theloneo liberum.

Kladrubense monasterium ord. S. Benedicti ad S Mariam.
Fundatum a. 1108 a duce Svatopluko, auctum a. 1115 a duce Wladislao I.

1124. Procedens Otto episc. Bamberg de Vohendrez ad Cladrunense coenobium veniens, honorifice illic cum suis susceptus est. — Transito nemore Boemico per abbatiam Kladarun ventum est Pragam. (Vita Otto Bamb.)

Abbates: Bertoldus (ca. 1167), Lambertus (1169—1185), Adalbertus (1186—1189), Silvester (1201—1225), Reinherus.

1197. Fratres: Boleslaus, Lambertus, Wickerus, Fridericus, Bogus, Cunradus, Heinricus.

Kladruby. (Kladruby Habrové = Haba-Kladrau, Plz. 403.)
1186. Wladislaus II. mon. Kladrub contulit vjezd, in quo sunt sitae novem villae: Kladrubi, Calisce etc.

Kladsko castrum et provincia. (Kladsko = Glaz.)
Habuit autem Slaunik sui principatus hos terminos: Ad aquilonalem plagam, contra Poloniam, castellum Cladsco, situm

juxta flumen nomine Nizam. (Cosm.) — 1097 castrum Kladsco (Id.) — 1114 civitas tota combusta et funditus eversa. (Id.) — 1129. Kladsco castrum renovatum est atque firmatum a Soběslao. (Cosm. Cont.) — Civitates, quae pertinent ad provinciam Kladsko nomine dictam, tradens Boleslao etc. 1092. (Cosm.) — 1134. De Bohemis (in invasione Silesiae) praeter Gradicenses, Chrudimenses, Boleslauienses, Czaslauienses, Gladcenses plures non fuerunt. (Cosm. Cont.)

Castellani Kladcenses: 1169 Groznata, 1175 Rivinus, 1177 Vitko, 1183 Bohuse Barbatus, 1195 Hermanus, 1211 Smil, 1213 Zbislaus et Willehelmus, 1222 Budivoj, 1234 Gotscalcus, 1253 Gallus etc.

Klenovici. (Klenovice, Plz. 411.)
1115 in Clenouicih Vladislaus I. mon. Kladrub. dedit tres mansiones.

Klepy. (Klepy, Klapé = Klappay, Lit. 44.)
1197. Comes Groznata Terram Sanctam visitare cupiens, villam quae dicitur Cleppi, ecclesiae Teplensi perpetuo deputavit. — 1237. Smil nobilis partem villae nom. Clepy, justo titulo ad eum spectantem, abbati Teplensi pro 200 marcis argenti vendidit. — 1237. Wenceslaus I. mon. Tepl. confert hereditates quae vulgo claszke vocantur, quas in villa de Cleppin habuisse dinoscimur, cum attinentiis suis.

Na Klku (?)
1088. Na Klku piscator eccl. Wyssegrad.

Knjažja-Ves. (Kněže-ves, Rak. 14.)
Ca. 1088, Knazawezi de terra ad II aratra cum ministerialibus, qui dicuntur pomyzi, poss. eccl. Wyssegrad. — Ca. 1228 villa monasterii S. Georgii: Knese-Wsi.

Kněnici. (Kněnice?)
Saec. XII. villae duo mon. S. Georgii in prov. Gavransko: Knenici II.

Knín. (Knín, Ber. 265.)

